

IACO
BI MICYLLI, HO
doeporicon *et* *ting*
rarin.
EPICEDION
Mosellani.
EPICEDION
Neseni.
et pleraq; alia lectu dig=
nissima.

PHILIPPVS MEL. IVSTINI=
ANO AB HOLTZHV
SEN.

S. D.



VM MICYLLVS PRO
amicia qua ei mecum iam uetus est,
Hodoeporicon suum mihi uidendum
misisset, legissentq; id una mecum
aliquot studiosi amici nostri, sum-
ma cum uoluptate, nemo fuit omni-
um qui non ut sepius relegere posset, describi, aut
in publicum emitti flagitaret. Nam ut oculi nunq̄ sic ex-
plentur in excellentib. picturis spectandis, ut non, quo-
ties in eas incedimus, resistamus, & in earum contempla-
tione hercamus, ita nunq̄ obrepere satietas boni car-
minis legendi potest. Quanq̄ autem ob eam causam
Micyllus non miserat, tamen neq; mihi tot amicorum
sentencijs qui flagitabant editionem, aduersari inte-
grum fuit, & carmen eiusmodi uidebatur, quod, ut ue-
recunde dicam, non sine magna uoluptate docti homines
lecturi essent. Et cum his miseris temporib. studia
Musarum passim conticescant, putauit etiam ad exem-
plum pertinere, si multa huius generis scripta ederentur,
ut aliorum studia languentia commouerentur, excitarenturq;.
Trahuntur, n. animi hominum commoniti alio

A ij

rum

rum exemplis , ad similia studia colenda , ut significat
Hesiodus cū ait . Ζηλοὶ δ' ἔτε γείτορα γείτορ . Proinde
liber iter tradidi chalcographis hoc poema transcriben-
dum , non modo ut amicis morem gererem , sed etiam ,
quia eius lectionem profuturam studiosis iuuenib. ex-
stimabam , quos hoc diligentius poemata legere oportet ,
quia meo iudicio , nemo tolerabiliter solutam orationem
scribet unquam qui non multum operæ in poetarum
lectionem collocarit . Tibi autem Iustiniane potissimum
dedicare hunc libellum uolui , non tam , ut memoriam
mei & iucundissime consuetudinis nostræ renouarem ,
quam ut , quoniam Micylli studia ad urbis uestre
laudem pertinent , te hortarer ut eum omni genere offi-
cij colendum duceres . Nam ut hoc omitam in primis
magnum urbis uestre ornamentum esse talem uirum ,
cuius monumentis etiam ad posteros urbs uestra clarior
futura est . Illud quanti fieri debet . q. ad id genus studiorū
cives uestros adsuescāt , ex quo uno humanitas & uirtus
nata est , qua in re de ciuitate uestra optime mereri iudican-
dus est . Multi fortasse Tibianem aut preconem in urbe
pluris æstimant , qui uulgus neq. literarum utilitatem ,
neq. humanitatis aut uirtutis uim perspicit . Eo magis
prudentes uiri tueri literarum studia aduersum iniquis im-
peritorū iudicia debent Idq. fecit hactenus summa constan-
tia uir sapientissimus pater tuus qui , cum ipse ad remp-
administrandam non uulgarem scientiam literarum
adtulisset,

attulisset, uident ad ciuitates reuedas, tenenda iudi-
cia, ad conseruandas leges ac religiones, in primis
necessariam esse literarum cognitionem. Itaque summa
fide eos qui apud uos studia ciuium excitant, defenden-
dos suscepit, quæ res tantum laudis meretur, ut nullis pro-
fecto iustius seruatorum ciuitatum tituli, nullis coronæ rectius
ciuicæ decerni queaquam qui efficiunt ut in urbibus literæ
floreant, & propagentur. Habes igitur Iustiniane do-
mesticum & paternum exemplum, cuius non licet tibi
iam dissimilem esse. Quamquam ipse literas non igno-
res existimo te non dubitare, quin ad boni ciuis officium
pertineat, summa illas ope iuuare ac defendere. Est au-
tem Micylli non tantum eruditio digna fauore sed mo-
res etiam sic sunt amabiles, ut ornare eruditionem que-
ant. Quorundam mores officiant existimationi litera-
rum. at Micylli modestia & diligentia in omni genere
multo cariores reddere literas omnibus bonis uiris possit.
preclare igitur facies si quam familiarissime doctissimum
hominem complexus fueris. Nec erit inhonestum tibi
uti poetarum amicitia, cum in Sæpionis &
Catonis & multorum aliorum summorum
uirorum laudibus hæc quoque conuene-
retur quod doctorum & poetarum
consuetudine usi sint.

V A L E .

A ij

HODOEPORICON.



Fortunamq; uie queris, tempusq; Philippe
 Qualib. et uentis nostra sit usa ratis.
 Non ego sum tanti, nec tali dignus honore,
 Ut referat iugas Pieris ulla meas.
 Nec mihi tam demens innata superbia, nolit
 Que mea perpetua nomina nocte premi.
 Attamen ista uiris soluenda est gratia doctis
 Qui pars incepti magna fucere mei.
 Nec merito quisq; fraudari nomine debet,
 Siqua uenit meritis gloria, digna uenit.
 Ipse pater stolidi Phæacum prandia regis
 Et uiles holerum laudat, Homerus, opes
 Et nos si doctos uersu celebremus amicos
 Inueniat nullam nostram Thalia fidem?
 Quare, age, principium nostri, finemq; laboris
 Accipe ut arbitrio stent mea fata tuo.
 Abs te cum gelidum digressi liquimus Albin
 Et pars incepte quanta peracta uie est.
 Mutauit liquidas ferus illico iuppiter auras
 Et cœlum fusas nub. b. omne tegit.
 Structa solo, tenuis stant urbis tecta, palustri
 Parua quidem, uestris sed tamē apta iocis.
 Quo se ferre solet studijs defessa iuuentus
 Si qua cupit curas exonerasse graues.
 Aut cum, qui patrios repetit, deducatur, agros

Quo

Quos exiat primæ signa secunda uis
Ceu quoq; tunc nostros comitata est sedula gressus.
Illæ cohors ueteris testis amicitie.
Vltior sylua est, cui nomina facta Miryce
Saxonas à Mysso diuidit illa solo.
Huc simul ac uentum est nos ingens obruit imber.
Aduerso madidi pulsus ab orbe noti.
Fit sonitus syluis, crepitantq; cadentib. undis
Et grauib. tellus ima fatiscit aquis,
Nec modus apparet, sed nubila plura liquecunt.
Inq; magis cœlum soluitur inq; magis.
Æolus insanos antris emiserat Austros
Hi causam pluuiæ, materiamq; dabant.
Nusq; diuert, nusq; fugisse licebat
Quacunq; aspiceres uentus & imber erant.
Ipse etiam saltus decausas duplicat undas
Et Iouis exhausti suscipit ille uicem.
Dixisses iterum periturum fluctib. orbem
Tempora sic, credo, Deucalionis erant.
Nos humiles animæ pluuiaq; geluq; rigentes
Nequicq; obijamus facta maligna Ioui.
Ac patimur tota contraria sidera luce
Donec anhelantes sol religauit equos.
Sub noctem hospicio madidos Dyboá recepit
Haud equidem lauto, sed tamen hospicio.
Hic primum uarijs cepti meroribus ang

Hei

Hei mihi, qualis in hoc pectore torpor erat
Cogito cum tristeis abitus, sociosq; relictos
Quodq; mea uita, te cariturus eram.
Ac ueluti tenero mœret spoliata iuueno
Que iacet in ripis bucula Rhene tuis
Nec, quamuis sera, curat decedere nocte
Pabula nec carpit, nec leuat ore sitim
Sic mihi tunc grauido, neq; pocula sumpta, dolore
Nec sumptus potuit corda leuare cibus
Sed tacitus sedeo, tacitus mea fata uoluto,
Que reb. ueniant semper acerba meis.
Crebraq; per uarios duco suspiria luctus
Imaq; pertingens occupat ossa dolor.
Donec languenteis, agitati, pectore curas
Humidus oppressit lumina fessa sopor.
Hoc mihi prima dies exacta est omne, cuius
Altera pars imbres, altera mœror erat
Postera iungebat roseos aurora iugales
Cumq; noua rutilat purior aura die.
Surgimus, et posito properamus cepta, sopore
Atq; alacres facimus lata per arua uiam.
Retro abeunt syluæ retro Dyboa, fugitq;
Consueta immensis crescere Mulda uadis.
Opposita campi cernuntur parte iacentes
Atq; arces circum, nobiliumq; domus
Iam medium phœbus cursu tendebat ad axem

Cursus

Cursus cum noster penè peractus erat •
Ecce procul celsas ostendit Lipsia turreis
Structa; solerti moenia clara manu •
Hanc ego quo propius uidi, propiusq; subiui
Obstupui miris hoc magis ipse modis •
Hinc auro late fulgebant omnia fuluo
Illinc tangebant culmina summa polos
Lumina spirabant tanq̃ de marmore ducta
Siue Chariste tuo, Tenare siue tuo •
Picta; priscorum referebant atria lusus
Antiope Satyros, & Ganymedis aues
Raptamq; Inachidem, mentitumq; Amphitryona
Muneraq; angustum fusa per impluuium
Et quaecumq; solent oculos retinere stupentis
Pingebant altas ludicra mille domos
Ventum erat in mediam qua semita panditur urbem
Qua angunt latum regia tecta forum •
Hic uero omniugas spectasses ordine merces
Quis uel habet Ganges, quas uel Hiberus habet •
Forte dies aderant quotannis, quib. undiq; multa
Confluit & uariis turba reportat opes •
Ordine septeno stabant mapalia iuncta
Quam patet ad fines area longa suos •
Hac prostant fusco conchylia capta canopo
Parte alia Tyriæ puniceq; toge
Hac piper & molli spirantia Cynama ligno

A v

Vecta;

Lipsia

Vestiq; per longum thura Sabca fretum .
Hac asia, & frutices Arabum & Cynarheia myrrha
Solaq; Iudeo balsama nata solo.
Memnonieq; grues, & prisca Sylphia Batti
Monstraq; sub stagnis edita Niliacis .
Quo non aggreditur, quid non amor audet habendi
Quid ue intentatum dira cupido finit ,
Persodimus terras, manes penetramus ad imos
Pene etiam stygijs bella mouemus aquis.
Non nos undosi mouet inclementia ponti
Nullaq; Symplegas , nullaq; Scylla tenet.
Non iras Boreæ, seuumq; timefamus Austrum
Insani serimur, qua uia cunq; patet.
Quin etiam nisi fata ne gent, nec sydera tuta
Tutaq; nec coniunx regia luno foret.
Omnia tentamus, contendimus ultima queque
Tanta fames cæcos, tanta cupido trahit .
At non sub prisco fiebant ista Saturno
Hec mala creuerunt cum Iouis imperio.
Ille etiam morbos genuit, tristemq; senectam
Et longas hyemes , horrificumque gelu .
Ille truces gladios reperit tormentaq; dira
Commisitq; auidas primus ad arma manus.
Ille securigeros inuenit primus honores
Et latos clauos patriasque togas .
Idem diuitias ima tellure refoffis

Causam

Causam bellorum materiamque dedit •
Sed nos dum positis spectamus singula curis
Defunctus cursu clausit Apollo diem •
Electimus hinc gressus & ad hospita tecta redimus
Solvitur hic dulci nox, animusque mero •
Proxima lux iterum roseo proæserat ortu
Aureus immensum sol relegat iter •
At non noster equus, non debita plaustra reguntur
Nec facimus ceptæ munera cepta viæ •
Vecturæ siquidem dum spes deludit hiantis
Lipsia tres totos nos tenet una dies •
Quanti ea tum cursus pulchre est iactura refarta
Et redyt magno foenore parua mora •
Nam post octobreis qui lux erat altera Nonas
Quartaque quæ uestri liquimus arua soli •
Hac nos accepit lautis epulisque iocisque ;
Huguisus præcis clarus imaginib •
Ille tibi studijs per multos cognitus annos
Et quondam uestre pars quota amicitie?
Hic tibi quid memorem luxus, et splendida regna
Omnia mundiciæ, omnia cultus erat •
Sublimi statat quoddam conclaue recessu
Quæ domus obiectas aspicit alta vias •
Hic, postquam decimam properans sol fecerat umbram
Axæque sub medio iam peragebat iter •
Conueniunt, quotquot seruarat Lipsia, doctos

III

Quisquis

Hic aderat proles clarissima Carolouia
Fata sinant, gentis fama futura suæ
Hic quidam Heranijs heros oriundus ab oris
Heros musarum dignus & ipse modis
Atq; alij quorum non sunt mihi nomina nota
Sed dicta & mores tunc placuere boni
Quos inter medius, tanq̃ formosus Apollo
Ducebas doctum Comitiane chorum.
Iamq; salutatos exceperat hospes amicos
Collocat & pictis ordine quemq; thoris
Depromunt famuli, sculptis splendentia gemmis
Ac implent ueteris pocula magna meri
Expediunt alij ærerem, differtaq; longo
Ponitur omnijugis ordine mensa abis.
Hic primum Aesopi cœnas agnoscere cepi
Et quales petulans dux Cleopatra dabat
Credere si libeat, uel si componere dignum est
Aesopi cœnis non minor ista fuit
Sic epulis lectis, uario sic omnia cultu
Splendebant, luxus regius omnis erat
Ut atius, iunctas q̃ possim dicere formas
Deficiant nostros uerba diesq; modos.
Sedimus & fixo mirantib. omnia uultu
E multis, dubium, quid peteremus, erat.
Ipse ego nec mense tendebam brachia, nec me
Carpentem

Carpentem quisq̄ uina dapesue uidet
Sed mihi nescio quo rapit admiratio mentem,
Que mihi pro nostro nomine sæpe uenit
Donec ab extrema quidam mihi parte coortus
Hospes an ille fuit nescio, credo fuit.
Tollens immensum, gemmis auroq; reuinctum
Salue ait, & pleno prebibit ore cyphum.
Siue quod is nostrum perspexerat ante pudorem
Seu quia tum presens forte subibat opus
Ille etiam dictis ibi nos hortatur amicis
Atq; hilares animo præcipit esse bono
Et iubet à reliquis alienos ducere curis
Tempora, & admoto corda leuare mero.
Sic inuitati placidis sermonib. illam

Lipsenses lucem degimus inter opes.
Que postq̄ ad manes abiit, noctemq; repellens
Altera purpureas sustulit orta comas.
Tunc male frustrati, dum nos auriga sedentes
Delusit, pedibus cepimus ire uiam.
Ille dies parui cuiusdam ad mænia castri
Nos fert, cui lucrum nomina facta dedit
Hic etiam preter q̄ quod cenauimus ægre
Iurgia potorum nos cubuisse uetant.

Sexta inde octobres quæ lux numeratur ad idus
Prodit, & inceptas pergimus ire uias
Atq; hinc digressis, niuea cui nomen ab arcæ est

Cernitur

V.

VI.

Cernitur urbs, digno principe digna domus.
Quam prope iam media defessi luce subimus
Et sumpto colimus languida membra cibo,
Mox iterum occidas cum so' remearet ad undas
Nuburgi ambustas scandimus inde domus.
Fama est hanc quondam tectis fulsisse superbis
Ac urbem ueterum cuiq; fuisse parem.
Dum fortuna fuit, nec dum deus aetheris altus
Iratu seuas intulit ipse faces.
Nunc modo reliquias ueteris spectare ruine
Et flammis etiam nunc nigra tecta licet.
Huc igitur postq̄ sub noctis uenimus umbras
Excepit laeta nos bonus hospes ope.
Non deerat unum Rhenano colle profectum
Non francum, aut patriæ quod dedit uua Sale.
Prætere. i paucis spectata abaria mensis
Et quicquid fessos exhilarare solet.
Fors etiam numero conuiuas obtulit æquo
Atq; animi grata dexteritate pares.
Sic positi noctis multis exegimus horas
Pensamusq; mero tedia longa uix.
Proxima purpureos iungens aurora iugales
Exit & è summis lux uenit orta iugis.
Linquimus exausso pl umata cubilia somno
Carpimus & ceptum qua uia ducit iter.
Non procul huic ueteris remanent uestigia templi

Hunc

Nunc est nobilium facta taberna locus
Quid faciunt anni? quondam hic mu. eq; deusq;
Consuerant studio mutuo utriq; coli.
At nunc turpis habet monachos ignavia. summum est
Ingenuas arces his didicisse scelus.
Qui neq; securi pro uiuis oia degunt
Nec, qui pro uita mortem obiere sua.
Bis tres immensis abigunt clamorib: horas
Quod superest, uentri, temporis omne datur.
Si queras quid agant, stertunt. potantq; ciuantq;
Ventris in his munus uertitur omne, tribus.
Hec eadem peragit cantato carmine, postq;
Fumo o accipitur limine porcus hare.
Excepto meriti quod non sua premia posat
Nec plebi iactat uana ministeria.
At non authoris fuit hæc sententia primi
Qui uoluit studijs, hæc loca dicta pijs.
Qui uoluit mores formari & corda iuuentæ
Hic ubi nunc magna pro pietate, gula est
Ut mala iam merito patiamur temporis huius
Et dignas poenas crimina nostra luant.
Hinc quoq; digressi, medium cum Phœbus ad axem
Egisset, totus lumine cinctus, equos.
Rara sub angusta spectamus moenia ualle
Vrbs à prefracto nomina monte tenet.
Hic positis fessi captamus prandia rebus

Et

Et facimus relique corpora sarta uia .
Hic etiam accessit, Leuca prognatus ab urbe
Ille me e factus parsq; comesq; uia .
Inde Budelstadium , paruam deuenimus urbem,
Sed gratam fessis hospitis officio
Namq; erat hoc totis nemo studiosior oris
Rerum, quas uulgus pro pietate facit
Acriter insurgens, si propugnare Lutherum
Nolles, aut meritum demere sacrificiis
Aut si coniugum preferri cælibe uita
Et libertatem non paterere iugo .
Ut cum, si, quod non idem honestum est, utile dias
Zenonis pueri protinus arma mouent .
Præcipue tunc nullus erat clamore secundus
Huic, quoties Christum tenderet esse uiam,
Si sineres uiasse hominem, largissimus unus
Non cessante dabat uina dapesq; manu
Atq; id nos longa iam consuetudine docti
Hac usi e uotis hospite nocte sumus
Tempora mox rediens soluit radiantia Phœbus
Densaq; subiectis umbra fugatur agris .
Quarta dies eadem hæc octobres preuolat Idus
Octaua á cepta denumerata uia .
Hac primum celsis Erphurdia nobilis arces,
Spectandas letis hospiciūq; dedit .
Saluc, non ullis urbs postponenda uetustis,

Munerib.

VIII.

Muneribus sortis, muneribusq; loci.
Saluete ô dulces, quondam mea tecta penates
Musarum & studij conscia tecta mei.
Vnde ego nunc laudum persoluam premia uobis
Quoue modo gratus munera uestra canam?
Nam tibi, seu flumijs gaudes Erphurdia uiuis
Nunquam aret siccis lucida Gera uadis.
Siue placent uirides cliui, nemorumq; recessus,
Et nemora & colles & tibi prata uirent.
Non seges in sterili moriens decumbit arena,
Sed pleno flauent horrea messe tua,
Non desunt uites, non dulcis consitor uina.
Et tua plebs Francis proxima uina bibit.
Hæc tibi fors, geniusq; loci, & natura dedere.
At quanta à superis, quot meliora refers?
Nam quò stat reliquis Musarum gloria maior
Et quanto est studij gloria maior opum,
Tanto plus alijs famæ laudumq; mereris.
Que culta es studijs tam diuturna bonis,
Queq; frequentata es per tot iam secula doctis
Nunc etiam castis religionis uiris.
Ut tacæam priscos mores, cultumq; uirilem,
Pectoraq; eneruis nescia luxuriæ
Fœlix ante alias, si sit (quod ubiq; precandum est)
Sanius ac melius, q̄ regerere, caput,
Huc simul ac uentum est, mox conuenere sodales,

B Reliquie

Reliquiae ueteris & decora alta scholae.
Urbanus, Nossenus, Aperbacchus, Megobacchus
Cumq; Gerungeno pars mea magna Procus
Atq; Hesus, quondam princeps studijq; scholaeq;
Hesus qui uatum dona tot unus habet.
Qui solet Ionio dignum cantare poetae,
Atque eadem uestris Coe Phileta modis
Interdum & cytharas plectro resonare iocosas,
Atq; Venusina ludere digna chely.
Libera cui surgit tantis quoque prosa figuris
Dicendo ut possit Crasse placere tibi,
Et possit dignus priscis orator haberi
Iudicijs, si non esse poeta uelit.
Adde sub antiquis duabus quae gesta leguntur,
Seu Romane tuis, Graecia siue tuis.
Et rerum motus, cursus, causasq; uicisque,
Omnia ceu digitos quae tenet ille suos,
Ut quascumq; tenet studiorum circulus artes,
Huic merito cunctas dixeris esse uiro.
Accedunt animi candor, uultusq; benigni,
Et grauitas nullo iuncta superalio.
His igitur tantis ornatus dotibus ultro
Venit, & alloquio nos petit ipse suo.
Ac primum ueteres, inquit, saluete sodales,
Partim ignota cohors, sed mihi grata tamen.
(Nam neque Leucaten prius, aut te Miale norat,

Nec

Nec uos ante istos uiderat ille dies.)
Hortatu q; suis placide succedere tectis,
Et secum mensis hospitioq; frui.
Deinde rogans causas ueniendi. Sydera, dixit,
Sic superi uobis omnia fausta regant,
Sic quando incolumes nostras uenistis ad oras,
Fortunent reliquam numina grata uiam.
Diate, quis cursus, quæ stat fortuna Philippo?
An ualet, & seruant hoc mihi fata caput?
Hei mihi quam auerem multo prius ipse perire,
Et prior extremum posse subire diem.
Si redimenda foret pacto uita illius isto,
Aut necis auerti uis truculenta queat.
Nam neq; deinde dabunt, nec fata dedere priora
Germano uberius lumen, opemque solo.
Omnia qui miro diuorum munera pacto
Addita nature dotibus unus habet.
Hec ait, atque alia his etiam maiora, sed ista
Ne presens laudem, prætereunda puto.
Nos quoque rettulimus quæ res tempusq; ferebant,
Hinc capimus tota gaudia multa die.
Sicq; illum exigimus solem, geminasq; sequentes
Grata fuit tota plus mora nulla uia,
Vna aderant Christi qui tum mandata docebant,
Qui formant hominum pectora, facta, fidem.
Langus Aonidum comes, & Colisamius acer,

IX & X

B ij Et tu

Et tu fortunæ debite Musa iocis.
Accipimur passim factis uerbisq; benigne
Et nobis hospes quilibet esse cupit.
Nullus erat fastus, nec erat lasciuia mensæ
Qui aueret reliquos temnere nullus erat,
Sed quæcumq; decet doctos fecisse, bonosq;
Talia facta dabant, talia dicta dabant.

XI *Quarta simul roseos coniunx Titonia currus
Conscendens alnum præuolat orta diem.
Tunc iterum ueteri renouantur corda dolore,
Nec dum desierat mœror, & alter adest,
Diuersi in uarias cursus hinc tendimus oras
Et modo coniunctum dissociamus iter
Micalus & patriæ Ioachimus gloria gentis
Aduertunt Franco uela reflexa solo
Me fera Turingæ, quæ sylua est ultima terræ
Expectat tenero non adeunda pede.
Hei mihi quam grauibus soluuntur pectora curis,
Vtq; animi robur concidit omne mei?
Cum uideor dulces iterum missurus amicos
Esse, & in ignotos hospes iturus agros.
Perstat adhuc, animo, uulnusq; immobile seruet,
Digressu acceptum care Philippe tuo.
Nec uetus ille dolor medianam sustinet ulla,
Sed uelut immoto statq; manetq; loco.
Cum subito accedit merori meror, & alter*

Arsurus

Arsurus praeceps ignibus, addit opes.
Distrabimur socij, uario distantia caelo
In loca, fortuna quocumq; trahente sua,
Et iam quos animi iungunt, eademq; uoluntas
Dissociat caelum, dissociatq; solum.
Quam non perpetua est mortalibus ulla uoluptas
Et cito praetereunt, quae diuturna cupis.
Cum nisi, quae nostros in casus, inq; dolores
Fata manere sinunt, fata manere sinant.
Sic prima uiolae pereunt aestate cadentes,
Sic perit a tenero mox bona flore rosa.
At lolium infelix, sterilisq; obdurat auena,
Nec nisi uomeribus diruta cedit agris.
Dulcius haud toto quicquam mihi contigit aeuo
Nec melius studijs, utiliúsue meis,
Quam tua cum facta est mihi consuetudo Philippe
Hic ubi Leucoreos alluit Albis agros,
Hac mihi digresso, fuit haec prope sola uoluptas
Et mihi tunc curis una medela meis
Vos socios habuisse uiae, sociosq; laborum
Miae et aliorum spes Camerariadum.
Sed neq; me uitam tecum fors passa Philippe est
Nec me cum socijs claudere posse uiam.
Sic fata et magno qui Iuppiter imperat orbi
Ante suum rapiunt omnia cara diem.
Ergo ubi tempus adest, abutumq; utriq; paramus

B

ij

Nec

Hæc Camerariades ultima dicta dedit,
Que fuit à puero tibi consuetudo Miculle
Nobiscum, uerbis non eget illa meis
Nam tua quod rectis iungebas pectora musis,
Principio es nobis iunctus amicitia,
Quod sequeris studio, non uanus auctor easdem,
Perpetuo nostri crescis amore gregis.
Nec tibi amicitie dubium constantia fiat,
Illa semel coepit, perpetuumq; manet.
Consilijs sed enim nostris parere memento,
Ut musas primo semper amore colas.
Musarum nulla est quæ uincat gloria laudem,
Et musas homines & coluere dei.
Quis foret hoc æuo tantum laudatus Achilles?
Amphilochiq; pater Telemachiq; pater.
An quisquam nosset ueteris monumenta Latini,
Et ualida Turni prælia gesta manu.
Quis Fabios, quis Sapidas, fortemq; Camillum
Quis nosset Lybia tristia bella ducis?
Si non Pierides seruassent omnia Musæ,
Nec longa sinerent ista perire mora.
Musas semper ama, musæ laudemq; decusq;
Et famam, letho quæ caret ima, ferunt.
Nec tibi si quando gemmas aurumq; probari
Ante illas, cernes corda labare uelint.
Diuitiæ pereunt, pereunt ingentia tecta,

Et pere

Et pereunt aurum, purpura, uestis, ebur.
Adde, q̄ & multo sunt hæc seruanda labore,
Plenaq; curarum, plenaq; tristitiæ.
Sola immortalis musarum gloria uiuit
Nullæ illam uires, nulla senectæ domat.
Hæc mihi si memori seruabis corde Miculle,
Non uanum dices consuluisse tibi.
Nunc id, quod præsens præstet fortuna, precamur,
I bonus, & fausto sydere carpe uiam.
Atque ita digressi Francas petit altera terras,
Altera pars Hessos Heraniumq; iugum.
Arx stat in excelso, Melburgum nomine dicunt
Inter finitimas præminet illa duas.
Quondam bellorum uarijs agitata procellis
Nunc ducis Herminij tuta quiescit ope.
Subiacet huic uicus numero non magnus, at agro
Fertilis & mitis dexteritate loci,
Hic populum Christi non irrita iussa docebat,
Menius, & summi fœdera cæta patris.
Qui, simul ac uentum est sub prima crepuscula noctis
Illuc, hospitio me comitemq; fouet,
Et mihi ob amissos socios nox longa futura
Hospitis optata fit bonitate breuis.
Iamq; iterum liquidos Phœbus conscenderat axes.
Nos tamen in medium retrahit hora diem.
Forsitan & tota facta hic mora luce fuisset,

Hermin.
vō Hoff.

XII

B . iiij

Ni sp 4

Ni spacio stares Gotta petenda breui.
Ergo ubi mox sero fulgebat uester olympo,
Intento petimus Gotta tecta gradu.
Hic fortuna dedit tandem mihi cernere Rufum,
Rufum quo non uir dignior alter erat,
Vnus qui studio per longos contulit annos
Quicquid habet Latium, Graecia quicquid habet.
Non erat huic lingua quisquam, non uoce secundus
Dictaq; ceu magnis imbribus acta dabat,
Præcipue quoties Musa, laudemq; sororum
Et reparatarum dona canebat opum,
Augusto quodam spirabant numine uultus
Ipsaq; consuerant ora referre deum.
Ex alto quoties se demisisset olympo
Latona, aut Maia natus, uterq; Ioue,
Ireq; in humano uoluisse corpore diui,
Corporibus diuos talibus isse puto.
Sic erat effigiesq; uiri, corpusq; decorum,
Cum nondum abstulerat Parca maligna diem,
Nunc leuis umbra uolat, defunctum Musa, Venusq;
Et positis luget Gratia pulchra comis.
Ac tegitur modico pectus uenerabile saxo,
Quod quondam ut aperet non satis orbis erat.
Hec noster sic te superi uoluere peremptum;
Et tutum à nostri temporis ire malis.
Nec tua foelicis quæ sunt post fata secuta

Cernere

Cernere fraterna preliaserta manu.
Illa tamen restant, multos quæ sita per annos,
Gloria & est studijs fama parata bonis,
Fama ea, quæ Scythia contemnat frigora ponti,
Nec metuat sæui flamme a tela Iouis.
Cumq; ruant urbes, pereant immania regna
Longaq; consumat moenia celsa dies.
Illa tamen uiuit, quæ sola atq; una superstes
Durat in æternos non moritura dies.
Proximus Hispanas Titan quoq; uergit ad undas
Nosq; sub incurua ualle tenemus iter.
Cum tandem raris cernuntur moenia tectis
Qua primos saltus ultima uallis habet,
Isnacum dicunt, urbs gestis clara uetustis
Hessorum quondam regia celsa ducum.
Hæc aperit syluas, aditusq; ad plana recludit
Hæc eadem ingressus claudit utrosq; uia.
Imminet hinc celsis arx consita rupibus unde
Prospicere hinc campos, hinc nemus omne licet.
Hanc quondam tenuit, cæu fama est, Helisabetha,
Foemina non ullos post memoranda uiros,
Ergo ubi contiguus longe apparentia tecta
Ad reliqua ingratos nos fouet una quies
Orta dies iterum coelo crebrescit ab alto,
Culinaq; Heranijs scandimus alta iugi
Est uia in excelsum quæ ducit dextera montem,

XII

XIII

B v Hinc

Hinc media Hessorum tramite regna secat.
Hanc petimus, montesque ægre superamus acutos
Undiq; nos saltus, undiq; saxa premunt.
Non hæc incolitur, nec aratur uomere tellus,
Non ea pastores, nec pecora arua tenent;
Sed steriles quercus, & querau durior ilex
Natæque sulcandis ardua pinus aquis.
Sub quibus immanes ursæ, catuliq; luporum,
Atque eques his longe sæuior antra colunt.
Si licet huc ueterum conferre exempla Cyclopum
Talia Cyclopum saxa fuisse putem.
Quattuor & totidem properando uadimus horas
Cum quædam ex modicis tecta uidentur agris.
Perga loco nomen, circum piscosa Vierra
Non latos iugi flumine pasat agros.
Huc ubi descensum est, reparamus languida membra,
Et nimium dura debilitata uia.
Interea ex alijs eadem sub limina syluis
Venerat, antiqua notus amicitia.
Nomine Nithardus, dum nondum Erphurdia musas,
Perdiderat, nostri parsq; comesq; gregis.
Hic ibi tum ueteres mecum repetebat amores,
Et ueteris studium dulcæ sodalicij,
Et quoniam sermo longe proæsserat, & iam
Oceano lotum sol properaret equos.
Detineor, noctemq; unã permansimus illam,

Et frus

Et fruimur subiti commoditate loci.³
Hinc ubi posterior processit ab equore Titan,
Hessorum facimus regna per alta uiam.
Sylua stat, à porcis, credo hanc, Sylinga uocarunt,
Vix usquam plures altera nutrit apros,
Cuius ut in dorsum tandem conscendimus altum,
Dorsum quo tangi sidera summa putes.
Horrida uis nymbi glacie commista niuali,
Inabat, atq; nemus condat omne gelu.
Omnia nix operit, sylvarum, strataq; nosq;
Prospetumq; adimit, notaq; signa uie.
Fit fragor, hinc ualidis iactantur robora uentis,
Hinc furit ingenti sylua profunda sono.
Ut cum post longos ructat Vesuuus annos
Ignes, & summis it uaga flamma iugis,
Exundant nigro Phlegrei puluere campi,
Et passim cineres ustaq; saxa uolant.
Territa uianos agitat Campania colles,
Et mare sub cæcis murmurat omne uadis.
Vadimus, & uario syluis errore uagamur,
Nec nobis coelum, nec uia certa patet.
Dumq; ita fallacis sequimur uestigia gressus,
Ignotam in uallem nos uia rara tulit.
Hic domus in cæcis stabat non magna latebris,
Exiguas inter rustica tecta casas.
Non ager, aut longi circum sunt iugera prati,

XV

Scd

Sed late informis circuit ima, palus
Talis erat, credo, specus & tam deuia Caci
Qua pecus Alædes abdidit ille tuum.
Obstupui, fateor, quis enim non horreat? aut quis
Securus possit talibus ire locis,
Istis ergo, comes, quæ spes regionibus inquam,
Atq; aliquem hinc saluum posse redire putem?
Aspice nos ingens à tergo sylua coeret.
Exapiunt nostras hæc noua monstra uias,
Iamq; aliquis tetro ueniet progressus ab antro
Sublatum prædæ cui caput istud erit.
Sic miseri ignotis ergo moriamur in oris,
Et lanient diræ uiscera nostra feræ?
Sic inquam & mentem uideor mutatus, & ora
Cum placide fidus rettulit ista comes.
Deme metum, quondam fuit hæc iniuria regni
Deme metum, ac animos ad meliora refer.
Cum domino tellus proprio spoliata iaceret,
Remq; suo gereret quilibet arbitrio,
Tunc fuit ista ferri metuenda licentia uulgi,
Armarant rigidas bella diurna manus.
Tunc sæpe in media stratus regione iacebat
Aut graue pendeat fronde uiator onus.
Nunc loca cordati, tuta hæc, custodia fecit
Principis optata pacæ regentis opes.
Principis, ingenio quo non syncerior alter

Aut

Aut animo quisquam candidiore fuit.
Qui simul ac patris moderari cœpit habenas,
Et gerere imperij tradita sœptra noui,
Ius, æquum, pietas, leges, concordia, Musæ,
Cum prisca in lucem mox rediere fide.
Ut neq; Saturni uincant hanc secula gentem,
Nec melius cœlum Iuppiter ipse regat.
His dictis animum paulatim & pectora mulcet
Liberat & uano territa corda metu.
Quoq; magis curas animo mihi demeret omnes,
Ducit ad angustæ limina parua domus,
Depromiq; merum posat, corpusq; leuare
Me iubet & mentem spe reparare bona.
Hinc iterum liquidas donec sol duceret horas,
Per iuga sylvarum longa tenemus iter.
Plana iacet uallis, campo spectanda uirenti
Quam gelido mediam flumine Fulda secat.
Huius ab ingressu non longe menia iactat
Viribus urbs quondam, diuitijsq; potens
Hersfeldum prisca nomen posuere coloni
Nunc monachi summa parte fruuntur opum.
Hic noctem ueteres producimus inter amicos
Quos ibi tum patrij munus alebat agri,
Hinc nos Eisfeldum lucis uia longa sequentis
Per crebros saltus, & iuga celsa tulit.
Nec tua sunt, altas quæ tangis uerticæ nubes

XVI

Versibus

Versibus Hirsberge tecta silenda meis.
Nam tibi nec turres, ualidi neq; robor a muri,
Nec uixi desunt ardua saxa iugi.
Vnaq; finitimos inter celsissima colles
Proxima conspiciam tollis in astra caput.
Ut neq; te Pharie uideantur uincere turres,
Queq; arx Tarpeia condita rupe stetit.
Præcipue domino foelix, quo fortior alter
Nec uestri quisquam iustior orbe fuit.
Hanc prius ad dictam quam gressu uenimus urbem,
Carpentes, leua parte uidemus, iter.

XVII Inde Gerunburgum subeunti luce uenimus,
Vrbem cui uiridis nomina fecit ager.
Forsitan hinc etiam progressum longus esset,
Ni p' uia inceptum detinuisset iter.

XVII Postera sed coelo postquam lux fulsit aperto,
Flectimus ad comitis patria rura uiam.
Vrbs tenuis surgit ueteri circumdata muro,
Inter depressi iugera pauca soli,
Imminet arx ualidis postremæ turribus urbi,
Ardua non nimium, sed tamen alta satis.
Hanc heros habitat maior Sulmonius annis,
Ille quidem reliquis, sed grauitate prior.

XIX Qui comes ut uentum est, lucem me detinet illam,

XX Et quæ post illam mox subiere duas.

XXI Quarta iterum solitas Titonia flectit habenas,

Nos

Nos quoq; maturum iam reparamus iter.
Linquntur à tergo longe collisq; nemusq;
Et latos circum uisus oberrat agros.
Iamq; per extenti gradientes æquora campi,
Aspirat placidi mollior aura soli.
Tendimus hinc gressum, non uno principe tuta,
Qua sua Fridburgum tecta uidenda dabat.
Menibus hæc urbis distabat proxima nostræ
Urbs quondam nostra non minus ipsa potens.
Cum nondum patrio melior Francphurdia Meno
Vndiq; collatas exæpiebat opes.
Hinc quoq; digressis medias Francphurdia turres,
Et prebet summas pulchra uidere domus
Ac propius uisam, propiusq; accedimus urbem,
Et peragi totum posse uidetur iter.
Cum nix præueniens adimit terramq; diemq;
Et prohibet notas cernere posse uias.
Flectimas ommissis iterum uestigia cæptis,
Paruaq; uicini tecta subimus agri.
Purpureos donec iunxisset Apollo iugales
Atque iterum cœlo constitit orta dies,
Tunc male depositos hesternæ lucæ labores,
Iamq; absolucndum rursus obimus iter.
Sexta Calendarum, quæ lux est dicta nouembris,
Illa dedit finem uersibus, illa uicæ.

τέλος.

EPIGRAMMA, QVO IN EPICEDION
præfatus est is, qui uite declama=
tionis pronunciauit.

Si quis adhuc uere capitur uirtutis amore
Aut studijs rectis si manet ullus honor.
Hinc faciles omnes linguisq; animisq; fauete
Me finite ardentem, quo iubet ire dolor.
Non mihi nunc surget fictis oratio rebus
Heu nimis ex uero nostra querela uenit.
Fata Mosellani plorabimus inuida rapti
Fata sub extremos usq; dolenda dies.
Huic musæ & ueteris culta est facundia Rhomæ,
Hunc etiam extinctum Callopea gemit.
Cuius inæquali dum ploro funera uersu,
Quisquis ades, lingua uirq; puerq; faue.

EPICEDION PETRI Mosellani, auctore Ia. Micyl.
ERGO iacet paruo tam gloria magna sepulchro?
Et tegitur uili nobile pectus humo?
Nec tua speratos potuit contingere canos
Aetas, ac horam deedit ante suam?
Nil tua te uirtus uiuit, nil ora diserta
Abstulit inuisa mors ea cuncta manu?
Salicet hæc oculis diuum pater aspicias æquis.
Hæc studijs tantis premia magna refers.
Desinite ô superi nostrum sperare laborem
Respicere, aut hominum rebus adesse deos.
Non illòs hominum nec tangit cura, nec illos
Officia obstringunt, nil benefacta ualent.
Aspice qui celsis fuerat modo cognitus astris
Cuius ad utrumuis nomina lata polum.
Quiq; omnes facunda in se conuertere lingua,
Ac ipsum potuit flectere sæpe Iouem.
Ille, Mosella, tuus cecidit præclarus alumnus
Externo premitur corpus inane solo.
Et iam de tanto uix illud nomine restat
Quod quinque digitis urna leuata capit.
Plange omnis studiosa cohors, & quotquot amatis
Pieridas, uestri plangite fata ducis.
Ecce pius posita testudine luget Apollo
Vadit & incultis flebilis ille comis.
Aonidum pulla sedet omnis ueste cæterua
Et signant luctus pectora sassa nouos

C Non

Non illis animum cytharæ, non carmina mulcent
Aspiciunt solitos haud nemora ulla choros,
Has sed lugubres miseranda ad funera canus
Flebilibus dicunt conanuisse modis.
Fragrantescq; nouo flores sparsisse sepulchro
Condita sic uersu busta notasse breui.
Hoc raptus tenera situs est, ætate sepulchro
Facundæ Petrus splendida fama togæ.
Nec minus ingenti stupuisse Mosella dolore
Diceris, & surdos multa uocare deos,
Et patrias inter lachrymas profundere nymphas.
Sunt quoq; qui cursus te reuocasse putent.
Ceum quondam referunt Xanthum cum sanguine Teucro
Illius implerent Scyria tela sinus.
Salue amnis nullum reticende Mosella per æuum
Et cursu & placidis nobilitate uadis.
Vndanti celeres currunt tibi flumine puppes
Multijugo uirides pisce natantur aquæ.
Ripa tibi multo celebratur consita Baccho
Et fortes habitant per tua rura uiri.
Cuius & imperio debent sua moenia Belgæ
Cuius aquis crescunt cornua Rhene tua.
Salue iterum, & rapti fatum misereris alumni
Non erat hic uestro gloria parua solo.
Nunc etiam lætam demittit Lypsia frontem
Lypsia magnanimis illa beata uiris,

Et dolet infœlix huius nunc omnia fato
Ornamenta suæ tanta perire scholæ
Aut iam quid superest illi nisi nominis umbra?
Optima cum docto quæq; abiere Petro.
Ipse mihi uideor deserta theatra uidere
Desertasq; acies, & sine castra duce,
Atq; iterum Rubeos, Tauri crepitusq;, Caprosq;
Ignauum rerum summa tenere pecus.
Ut quondam ablati fato Ciceronis acerbo
Senserunt stolidos rostra diserta pedes.
At tibi tam iuueni potuit, nec tale merenti
Iniicere obscuras mors uiolenta manus?
Que senibus Capris, Rubeis, pedentibus uris
Parat, & indignos uiuere lenta sinit?
Illa tui potuit nascentem carpere florem
Ingenij, & studijs sæua nocere bonis?
Que sinit insanos Tungros, Fabrosq;, Leosq;
Orbem stulticia uertere posse sua.
Hochstrate debueras istis perijsse sub annis
Seruaret sanctam Belgica terra fidem.
Nec tantum hausisses iusti, non iuste, cruoris
Desine, sat gladius sanguinis iste bibit.
Heu nimium uere est, quisquis fuit, ille locutus
Quæq; per immensas pessima stare moras.
Cum pereant ipso statim placitura sub ortu
Ceum cadit in tenero candida flore rosa

C ij Sic

Sic tua Philacide Thersites funera uidit,
Vidit magnanimi funera miles iners.
Sic quoq; robusti collegerat Hectoris ossa
Semiur imberbi territus ore Paris.
Salicet hæc magnis lata est sententia diuis.
Hæc nunc insoelix te quoq; fata trahunt.
Sed tamen ulla pijs umbris si premia restant
Nec planè Elysij est fabula ficta soli,
Estq; aliquis iustis qui præsidet Aeacus urnis
Quiq; bonis reddat premia, quiq; malis.
Ampla tuis certe debentur premia factis
Mox et in Elysiâ ualle beatus eris.
Nec tua nunc alijs dicenda est causa patronis
Ipsa tibi satis est lingua disertâ tua.
Que quicumq; tuas iudex modo postulat umbras
Aut hoc, aut simili dixerit ipsa modo.
Si fuit hæc semper præstantior Aeacæ uirtus
Que uenit à factis gloria nobilibus.
Nulla mihi generis memoraneur stemmata prisca
Nec proavis cura est annumerare Iouem.
Vilius hoc fuerit claros iactare parentes
Nec famam studijs uelle parare tuis.
Prima mihi testis, testis postrema laborum
Aetas, nulla dies oia uidit iners.
Nec mihi diuitiæ, non est quæsitâ uoluptas,
Ingenue Musæ sedula cura fuit.

Sine

Siue uoles Graijs me uoibus esse locutum
Aeae Graiorum uoibus ipse loquar.
Siue uoles Latias hic nunc audire figuras
Dicor ego, Crasso posse placere seni.
Cetera pura mea est uita, & sine labe peracta
Pectora cui culpae conscia nulla male.
Ista, Mosella tuum caput, & te Lypsia testor
Testibus est uobis uita peracta mea.
Illinc & patriam duxi, carosq; parentes
Ingenuis studijs me dedit ista ducem.
Nec nostrae est adeo telluris gloria nulla
Sed solet & fortes ferre Mosella uiros.
Quod propere huc abij, primis extinctus ab annis
Vna ea culpa mea est, si tamen illa mea est
Utilius tenerae potui prodesse iuuentae
Incasat miseris haec mea fata modis.
Talia dicentem, percussa theatra stupefcent
Signabuntq; umbris luada regna tuis.
Tunc tibi non humeros offendent Sisyphæ saxa
Et leuis Ixion tunc tuus orbis erit.
Nec Tityum uolucris repetet, nec Tantalus undas,
Urna puella es non premet ulla manus.
Cuncta per obscuras cedent tibi monstra tenebras
Seuro tendes ad loca tuta pede.
Obuius huic uenies cum docto Barbare Pico
Et nitidum fertis Angle uincte caput.

C ij Tuq;

Tuq; o tripliabus multum uenerande Camenis
 Excelsi ſpreamen Capnion ingenij.
 Atq; etiam nuper tumulate Huttene, tuorum
 Et decus, & patrij gloria quanta ſoli.
 Et quicumq; alij doctas coluere ſorores
 Quos nunc foelices continet iſte locus.
 His igitur permixta comes tua nobilis umbra
 Incolet aeternos arua beata dies.
 At nos dum ſuperas uiui calabimus oras
 Nullo ſtet fame gloria ſine tuae.
 Viue, uale, & placida requieſcas molliter urna,
 Terra grauis cineres nec premat ulla tuos.

EPITAPHIUM GVIELMI
 Neſeni, Philip. Melan.

ὡς τὸ βροτῶν γένος ἐς ἀνεμώλιον ἠδ' ἀμνηρόν
 ὦ νεοί, ὡς ἀκὼν πᾶσιν ἄπις & ἐνι.
 ἀπροϊδῆς θάνατος νεακνὸν ἔμαρτε νέον περ
 ἄξενον ὄρ συγεροῦ ἄλβιος οἶδ' μ' ὄλεσε.

Epitaphion

EPICEDION IN NESENVVM,
Auctore Iacobo Micyllo.

DESINE flebilibus superos urgere querelis,
O quondam uitæ summa Philippe meæ.
Desine, nil lachrymæ laniataq; pectora profunt,
Frangenda haud ulla stant fera fata preæ.
Lanificæ postquam ruperunt fila sorores,
Et semel infernas umbra subiuit aquas.
Non patet ad superas porta ulla meantibus oras,
Preclusæ duro stant adamante uie.
Hirana Tygres atius fuluæq; leenæ,
Quam dea de socijs flebitur una tribus.
Ipse ego dum medio mersarer gurgite sensi
Deprimere immites tunc mea colla manus.
Et seuis Lachesium digitis incidere fila,
Et satis hoc nostrum dicere creuit opus.
O duros animos, ô corda immota deorum
Sic quoq; coelestes asperat ira manus?
Quid merui infœlix, quæ crimina tanta peregi?
Ut peteret nostrum tam fera pœna caput?
Non ego terrigenis iunxi cum fratribus arma,
Ut premerem magnos obsidione deos.
Non ego deieci sacratas impius aras,
Nec mea decepit perfida lingua deos.
Saliæt hæc referunt uigilatæ premia noctes,
Et studijs merces soluitur ista meis.

O tu quæ nostro luxisti prima sub ortu
Ultima cur eadem non mihi facta dies?
Tunc ego debueram pallenti occumbere morti,
Infauſto preſſi cum pede natus humum.
Tunc mea debuerant abrumpere ſtamina parca,
Non eſſem Albiacis nunc data præda uadis
Albi Bohemorum gelidis qui ſaltibus ortus,
Cursibus Arctoum tendis in Oceanum.
Inuide ſola tuæ decrant mea funera laudi?
Ergo mea creſcent nomina morte tua?
Et nunc egregij iactetur fama laboris?
Flumine Neſenus merſus in Albiaco?
Falleris, haud iſtis augetur gloria factis,
Conſeruäſſe decet, perdere quiſq; poteſt.
Si, niſi de noſtra creſcat tibi perfide, morte,
Gloria parua tua eſt, gloria parua tua eſt.
Xanthus in aduerſos direxit cornua diuos
Obſtitit & flammis Muläber ille tuis.
Sed patriæ offiaum, ut debebat præſtitit illud,
Inq; hoſtes ſolum ſeuij ille ſuos.
Preſſit & Aläden tumidis Achelous in undis,
Et miſti, uires ſenſit uterq; ſuas.
Sed pro formoſa ſuſcepta eſt coniuge pugna,
Traxit amatores Deianira uiros,
At mea quæ culpa eſt, aut quo te crimine leſi?
Obrueres noſtrum cur uiolente caput?
Num tua uindiabus repreſſi flumina flammis?

Num

Num uolui cursus ipse tenere tuos?
Saliat hæc semper fuit, hæc tua cura, maligne,
Omnia crudeli sternere perfidia.
Nec mihi nunc primo rapuisti pessime uitam,
Ah dedit innumeros alueus iste neci.
Ipse etiam teneras prosternis flumine fruges
Et nondum natas inuide perdis opes.
Heu quoties uidi longos uastare labores
Et tua sub gelidos flumina ferre polos.
Heu quoties lachrymas deceptus fudit arator,
Deuotiq; tuas, dire precatus, aquas.
Quin etiam fama est te certos poscere census,
Humanaq; undas morte piare tuas.
Ah cur non timui, cur non tua flumina fugi?
Hæc fama est nostro reddita certa malo,
Ergo ego nunc iaceo fulua contactus arena,
Albiacæ nostra morte p'antur aquæ.
Quid nunc ingenium, musasq; habuisse benignas?
Quid uarias artes edidisse iuuat?
Quid nunc externas me tot uoluisse per oras?
Quid iuuat in duro sæpe cubasse solo?
Ecce tot insomnes noctes, tantosq; labores,
Obruit Albiacæ uilis arena soli.
Deuoti nimium remi, deuotaq; puppis.
Vos uere puppis, uos mihi prora necis.
Heu cæcas hominum mentes, semperq; futuri
Nescia corda boni, nescia corda mali.

C v Que

Que iam non oculis, siue hæc ostenta decorum
Somnia seu dicas obuia facta meis?
Quis mea terreri, si non male cœca fuissent,
A diris poterant pectora remigijs.
Aestus erat, mediumq; dies transegerat axem
Septima supremam quæ fuit ante diem.
Innixus solio usquo sub limine sedi,
Cum subito inuasit lumina fessa sopor.
Est locus in modicos qua flectitur alueus arcus
Hic iterum admissas exâpit Albis aquas,
Vtraq; populea prætextitur arbore ripa.
Hic iuuenum turbæ membra lauare solent.
Parua sub extremo pendebat margine cymba
Cymba secuturi tristis origo mali,
Hac fluumium comites mecum tranare solebant,
Tempore quo fessos sol religabat equos.
Semoti à turba, quoties aut corpora uellent
Abluere, aut æstus pellere sæuiam.
Hanc iterum somno tunc inscendisse uidebar
Et solito liquidas more secare uias.
Iamq; etiam medium currebat cymba per Albim
Tutaq; dum placidas despiciebat aquas.
Ipse gubernator cursus remosq; regebam
Exiguæ magnus nauita puppis eram.
Sic prius Hæmoniam Typhis puto rexerat Argo
Nauita Troianus sic Palinurus erat.

Ah me

Ab me debuerant illorum fata monere,
Sic iacet externo tectus uterq; solo.
Sed ratis aduersam cum iam prope tangeret oram
Nec tanti casus tum timor ullus erat.
Tunc primum dubios uertit Rhamnusia uultus
Incausitq; atras atrior ipsa rotas.
Ingens truncus erat, cæcis abstrusus in undis
Sed decrecentes tunc superabat aquas,
Hanc genio, fama est, sedem seruire uetusto
Ipsa loâ facies religiosa iacet.
Arboribus densis fluuio nemus imminet atrum
Vortiabus crebris unda rotata fremit.
Haud quisquam celeres appellit nauta carinas,
Impulit huc nostram Parca maligna ratem.
Hic igitur subito correpta uortice naui
Excausit miserum prora reuulsa ducem.
Ipse relabentes pronus deuoluor in undas
Mecum unâ remi remigiumq; cadit.
Stant socij attoniti fædantes unguibus ora
Ora tuis Albi pallidiora uadis.
Hei mihi tum quales animi per sæua natanti
Flumina, quæ facies, quis color oris erat?
Ac uelut ingenti perfossus pectora telo
Exilit Eleo gramine uictor equus
Et furit, & rapido præceps ruit undiq; cursu
Donec ab exhausto corpore uita fluat.

Sic

Sic ego tum seui correptus fluctibus Albis,
Mille reluctabar mors tibi dira modis.
Ter uolui fragilem rursus deprendere nauim
Ter fera conatus reppulit unda meos.
Undiq; me fluctus urgebant, undiq; fata
Iam bibere immensas ore uidebar aquas.
Tum uero socios & opem clamare parantem
Destituit fugiens lumina aperta, deus.
Sic mihi tunc somno mœsta apparebat imago
Seaurum superos hæc monuisse puto
Ceu quoq; cum læuo residentes culmine ceruos
Hæsiacis uidi dira sonare iugis.
Sed neq; coelestum monita, ullaue somnia profunt
Inijcit immites cum fera parca manus.
Aeacides fuerat factis & sanguine clarus
Et quota de pelagi pars erat ille deo.
Hunc ueneranda parens niueis Thetys inclyta plantis
Hunc hominum monuit uoce locutus equus.
Sed tamen Ideas qui tot prostrauerat urbes
Robustum, qui ingens Hectora uidit, opus,
Non potuit leges ora uitare malignas
Atq; etiam inuitis occidit ille deis.
Vlli si monitis fas fata cauere Philippe est
Debueram monitis fata cauere tuis.
Heu miserum, quoties fluumium uitare iubebas
Et graue, dicebas, hæc dabit unda malum.

Heu

Heu quoties nocuum properantem inscendere lembum
Duxisti à liquidis ad tua tecta uadis.
At uero incertis cuncta hæc abiere sub auras
Sustulerant sensus tunc fera fata meos
Et me dira Iouis deuotum noxa premebat
Missaq; de Stygio seu Megera lacu,
Ergo peregrino iaceo Nefenus in orbe
Albis habet aneres barbara ripa meos,
Visaq; per tacitam nuper portenta quietem
Somnia stant nostra reddita uera necæ,
Pasce animos, iramq; tuam, mors inuida pasce,
Et satient oculos funera nostra tuos.
Nec tibi si satis est, istis perijsse sub undis
Hic etiam restant fulmina, tela, faces.
O dubijs hominum fortuna obnoxia fati
O spes tam miseris irrita facta malis,
Quis tibi nunc longæue pater, quis nuncius ibit?
Vnde tua hanc noscet cana senecta necem?
Non mea iam fortuna mihi, non uana laborum
Spes dolet, aut studij premia nulla mei.
Cuncta ea cum raptâ referat mors dura iuuenta
Insultetq; umbris, si ualet, illa meis.
Tu mihi care pater, tu nostri summa doloris
Te mala longæuum tanta uidere senem.
Hei mihi iam lachrymis, percussa q; pectora palmis
Aspicio & fœdas ungue notam e genas.

Iam

Tam quoq; te crines uideo turbare seniles
Multaq; languenti talia uoce queri.
At non hæc abiens de te sperare iubebas
O nimium diris nate perempte modis.
Qui fueras nostræ solatia longa senectæ
Qui mihi tristitiæ mite leuamen eras.
Tu ne igitur patrijs procul hinc extinctus ab oris?
Nostraq; nunc tecum spes bona, falsa iacet?
An semel afflictos semper fors puniet atra?
Estq; aliquis iustus qui uidet ista deus?
Prima mihi duro transacta est uita labore
Quot uidi miseros heu miser ipse dies?
Dum te care puer, dum paruos educo fratres
Dum gero non magnæ pondera magna domus.
Heu quoties nondum tenuit mea lumina somnus
Cum lux Eois altera adesset equis
Heu quoties Phœbus repetiuerat aureus undas
Gustassem nullos cum tamen ipse cibos
Omnia ponebam uestros ignarus ad usus
Vobis, si quis erat, fertilis annus erat.
Quo mihi tot noctes uigili superasse labore?
Quo mihi tam longam sæpe tulisse famem?
Altera decrepito prope iam mihi uiuitur ætas
Abstinet à nobis mors male lenta manus,
Et te uix sumpta iuuenem modo ueste uirili
Sustinet infandis encauisse modis?

Nempe

Nempe pios hominum cœlestes cura fatigat
In nunc, & surdis thura precesq; uoue.
Ista meæ reddunt crudelia fata senectæ?
Ista mihi refert premia sera dies?
Tollite dira patrem, quæ natum fata tulistis,
Tollant, quæ iuuenum fata tulere, senem.
Talia multa pater te nunc longæue querentem
Heu uideo & fletus ora rigare iuges.
O pater & dulces dum fata dedere penates
Sic iaceo uestra despoliatus humo?
Sic me de patrijs raptum crudeliter oris
Externo potuit mors sepelire solo?
Non mihi post unquam dabitur redeuntibus annis
Francofordiacos posse uidere patres?
Non ego te post hac dulcis germane uidebo?
O mihi Thesea frater amate fide.
Et nunc sola mei restabit corporis umbra?
Que uolet ante oculos puluerulenta tuos.
Ergo mihi germane uale, dulcesq; ualete
Quos colui socios, dum me a uita fuit.
Nunc dulces Musæ, nostræ solacia uitæ
Et iuanda animi cura ualete mei.
Salue unaq; uale studiorum dux uenerande
Et quondam studij testis Erasme mei.
Heu, tibi quæ longum ueniet nunc fama per orbem?
Albis Neseus nauita, mersus aquis.

Tu quoq;

Tu quoq; doctrine uindex liberrime sacrae
 Sis memor o comitis aere Luthere tui.
 Et quaecunq; meis rebus bene turba fauebas
 Pectora nunc umbris grata, ualete meis.
 At tu delitium nostrum, dulcisq; uoluptas
 Vnica dum uixi cura Philippe mea,
 Ipse meos cineres, qui moestus et ossa legebas
 Perpetuum salue, perpetuumq; uale.
 Aspice dicentem, manes, iudexq; repossunt
 Iam Stygis aeternum cogor obire lacus.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ ΠΕΤΡΙ ΜΟΣΕΛ.

Ioachimo Q. Auctore.

Ἐνθαδὲ γαῖα πόν νεκρόν πετρε σῶμα καλύπτει,
 ἄυθι γενησόμενον, ὡς πάρος ἦοθα, κόνιν
 μὴδέσσε μουσάων θεράποντ' αἰδέσασατο μοῖρα
 ὡσε κε γηγάλεον εἰς αἶδαο βαλεῖν
 ἀλλὰ σου ἔρτε νεοῖς κῆ τοῖς ἀπαλοῖσι δαμέντος
 σοὶ μ' ἔδωκ' ἀγαθόν, χ' ἄμμι δὲ πένθος ἔχθρ.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ ΠΕΤΡΙ ΜΟΣΕΛ

lani, Auctore Philip. Melanch.

κείται τῷδε τάφῳ πέτροσ ποτάμοιο μοσε. Ἄλλ' αἰ
 τούνο μ' ἔχωρ, ῥήτωρ ὅσ ποτε ἠδ' ὕς ἔκρ,
 τῷ μακρόν τε εἶορ, γῆρας τε φθόνησε ποθφνόν
 ἀντὶ δὲ ἄσβεσον μοῖρ' ἀπέδωκε κλέος
 πᾶς δὲ μνησθαδῖος κῆ τφρεσία πέλετ' αἰών
 κρείττορος οὔρ δώρου γῆρας ἄμφτε θεός.
 τέλος.

CHARITES THEOCRITI.

CUR A Iouis sobole, musis hæc una canoris
Carmine mortales extollere, carmine diuos.
Factaq; clara uirum superas efferre sub auras
Ac diuæ diuos musæ, diuinaq; cantant,
Nos homines hominum celebramus facta poetæ
At nunc immenso nemo sic uiuit in orbe
Vt Charites grato uenienteis limine nostras
Accipiat, foueatq; lubens, aut munera donet.
Sed simul ac iussas aliquo mittuntur ad ædes,
Mox redeunt tristes, nudo pede, multa querentes
Deq; uia uana, de frustratoq; labore,
Atque ita sub uacuas, iterum sua limina captas
Affectæ subeunt, uix iam capita ægra trahentes.
Hæc etenim sedes quoties elusa remisit
Respes, infecta, frigentes exapit illas,
Nam quis adhuc musas amat, aut quis tempore nostro
Digna referre cupit facundæ premia linguæ?
Haud facile inuenies, neq; enim uelut ante solebant
Mortales faciunt, quæ laudem facta merentur.
Sed pariter cunctos scelerata pecunia uidet
Ac tacti sub ueste manus clauduntq; premuntq;
Dum quisq; intentis oculis circumspiciat aurum
Vnde ferat, quantumq; ferat, nec donat amico

D

Vel

Vel quantum reddidit deterfa erugine quisquam
Sed propius quam sura genu mihi salicet, inquit,
Si petis, & dederis tux, ipse ego sumere malim.
Ac potius superi reddant sua dona poetis
Hinc alius solus satis est, respondet, Homerus
Omnibus, & nobis doctissimus ille poeta est
Qui minimum poscet, qui nil auferre rogabit.
O miseros homines, quid plena conditus arca
Thesaurus uiuat, & multo congestus aceruo?
Non hic usus opum, sed qui sapientius illis
Utitur, has genio partes, has sumet amicis,
Multaq; cognatis faciet bene, multa poetis
Atq; hominum reliquis, quorum res poscet & usus,
In primis superum donis uenerabitur aras,
Hospitioq; lubens acceperit urbis egentem
Et patrie, atq; iterum placide dimittet euntem.
Cum uolet, acceptum lauto sermone aboq;
Pieridumq; colet sacros ante omnia uates,
Ut bene sub Stygijs uel mortuus audiat umbris.
Nec fleat obscurus, residens Acherontis ad undam.
Ut qui pauperiem uacuo deplorat in agro
Confectus longo squalentia membra labore,
Tristia callofis manibus cum sarcula iactat
Antiochus magno, magno regnabat Aleuas
Imperio, Peneus qua Thessala aruit arua.
Illis mille domi famulae data pensa trahebant,

Et toti

Et totidem tulerant demensa diurna ministri.
Multa bouum montes ibant armenta per altos
Hemoniæ, & uirides nemorosa cacumina syluas
Multa cum teneris errabant matribus agnae,
Diuidæ regum, læto Cranonis in agro.
Ast ea tantarum rerum tam chara uoluptas
Cuncta abiit postquã hi Stygiam tetigere carinam,
Et nunc obscuri cæca Plutonis in aula
Post tot diuidas, post regna amissa iacerent.
Atq; eadem premerent nomen, corpusq; tenebræ,
Ni tua Simonide scãssent carmine notos
Et Scopadum leuibus sonuissent nomina chordis.
Hæ quoq; dixerunt uolucrum certamen equorum
Partaq; in Eleo uictricia munera campo.

Quis Lyãos proceres, Glaucum aut Sarpedona nosset
Troianôsue duces, & canum tempora Cygnum?
Ni ueterum prouidi scripsissent bella poetæ.
Nec qui uiginti centumq; errauit Vlisses
Mensibus, atq; herebi pallentes uenit ad umbras.
Vnus & infandi terebrauit lumina monstri
Trinacr.) Cyclopis, in altæ rupibus Aetnæ,
Nomine tantus erat. Tu nunc Eumæe lateres,
Et tu qui errantis pauisti armenta Philæti,
Laertesq; tuum uix nosset secula nomen.
Ni uos diuini seruassent carmine uates.
Carmine mortales pariunt nomenq; decusq;

D ij

Quod

Quod neq; mors aufert, nec sæui cymba Charontis
Cum nudi ad cæcas omnes descendimus undas
Et manet hæredi collecta pecunia uiuo.
Ast idem pelagi sterilem numerabit arenam,
Quam gelidus siccæ congeßit littore uentus.
Et lateris nitida sordes absterferit unda,
Qui poterit lucri cupidas euincere mentes,
Quin longum ualeant qui sic sunt, & sine fine
Et sine mensura amulent aurumq; lucrumq;
Et maius maiusq; uelim, nec uelle quiescam.
Ast ego præ cunctis mulis, cunctisq; caballis
Optarim laudem, & populi meruisse fauorem.
Verum aliquem grato qui nunc mea carmina uultus
Accipiat, quero, neq; enim modo certa poetis
Stat fortuna, Ioue à musis aliena agitante
Nec dum uertendi cessarunt tempora mundo,
Aut sua luciferi posuerunt plaustra iugales.
Magnaq; adhuc superest uoluendis mensibus ætas.
Atq; aliquis ueniet uenturis forsitan annis,
Qui uirtute potens per nostræ carmina musæ
Gaudeat ad seros nomen misisse nepotes.
Dum faciet, magnus quæ quondam fecit Achilles,
Aut Telamone satus, Phrygij Simoentis ad undam
Læonæontiadæ tumulum qua arcauit Ili.
Iamq; adeo extremis Lybiæ Carthago sub oris
Tota tremit, magnis iterum conterrita bellis,

Belle

Bella Syracusis Hieron quæ cogit in agris
Heroum prisca referens animoq; figuras
Et uultu galeam cauda cristatus equina
Quem circum Sicali deurrunt undiq; aues
Sub medijsq; gemunt hastis, clypeoq; saligno.
Iuppiter omnipotens atq; armis inclyta Fallas,
Quæq; Ephyreorum sortita es diuibus urbem
Facundæ profugis sub margine Lysimeleæ,
Alma Ceres, tuq; ô Cereris Proserpina nata.
Hoc facite, ut ualidis compressi uiribus hostes
Ortygiam trepidi linquant, fugiantq; relictæ
Sardinios inter tranantes æquora fluctus.
Diraq; coniugibus denarrent funera moestis,
Et Tyrios Siculo confossos ense colonos.
Tum sua delecto reddantur moenia cui
Quæcunq; hostili fuerant direpta furore,
Atque iterum curuo perarctur uomere tellus
Et pecus herbosi rursum per pascua campi
Fœcundis pariat balantes fœtibus agnos.
Ac pingues stabulis redeant cum uespere uaccæ
Grandia distento portantes ubera lacte.
Incipiant pulchra flauere noualia messe,
Cum canit, et uiridi suadet de fronde acada
Pastores gelida recumbate sub arboris umbra.
Cumq; leuis coeptam pertexit aranea telam.
Impia tum cessent ipso cum nomine bella

D iij At

At magnam pariant Hieroni carmina laudem
Laudem, quæ Scythiâ uolitet trans æquora ponti.
Atq; Semiramidis solida referatur in urbe.
Et quanquam Siculis uates ego solus in agris
Canto, tamen multis seruant sua munera musæ
Qui laudes Arethusa tuas, qui sortia facta,
Magnanimumq; Hierona serent ad sydera cantu.
O Etheocleis habitantia numina tectis,
Diuine Charites, quæ cælo è uertice quondam
Inuisa Orchomeno spectastis mœnia Thebas
Vester ego obscura cultor sub nocte latere
Haud renuam, et possum petuisse ignobilis orcum.
Sed tamen ex tanto numero nos si quis amarit
Atq; uocet, Musis fretus comitantibus ibo.
Vos quoq; ubiq; sequar, quid enim sine numine uestro
Hoc toto pulchrum restat uel amabile mundo?
Vobiscum Charites liceat mihi tempora uite
Et uitam uestros inter finire lacertos

FINIS.

IDILLION THEOCRITI NONVM.

PASTORES, DAPHNIS ET
MENALCAS.

Pangite syluestres Musas, prior inape Daphni.
Inape Daphni prior, Tu deinde sequere Menalca.
Intere a uitulæ bobus taurisq; iuuentæ
Vnâ per uirides dum carpunt pabula ualles,
Per sola errantes, inquit armenta sub umbra
Commistæ, & tenero cupiunt dare tempus amori.
Inape nunc Daphni, respondeat ipse Menalcas.

Et bouis & uituli dulcis uox, dulcis auenæ, Daph.
Dulcis pastorum, & nostro quæ fertur ab ore.
Est mihi per gelidam resonant ubi flumina ripam,
Vacarum niueo constructus uellere lectus,
Quis mihi de celsa carpentes arbuta rupe
Infestus subito deussit turbine uentus.
Hic æstus tantum seu torrida sydera auro,
Quin curant pueri nugas audire parentum.
Sic cænit Daphnis, cui rettulit ista Menalcas.

Aetne nostra parens, & nos sub rupe cœuati Men.
Depictum uarijs habitamus floribus antrum,
Ac habeo quæcumq; deus per somnia reddit,
Agnos, & teneros hirtis cum matribus hædos
Quorum multa iacent pedibus sub uellera nostris,

D iij Subter

Subter multa caput torrentur plurima nostro
Exta foco, & sicca non uilis copia glandis
Hic gelidae auro brumæ non frigora tantum
Quanta nucum ratio est ubi lac aspexerit infans,

Daph. Ast ego miratus pollentes uersibus ambos
Applausi, donoq; pedum tibi Daphnidi mitto
Formosum patrijs allatum nuper ab agris
Mentoream quod sponte sua superauerat artem
At pulchrum Iarij saxosa in margine ponti
Ostracon exceptum, cuius direpta comedi
Partibus in totidem diuisis quinq; sodales
Viscera do munus ridenti ferre Menalcæ

Me. Musæ Trinacras celebrantes carmine syluas
Saluete & faales illud mihi reddite carmen
Istis quod cæni nuper pastoribus ipse
Ne mihi sub summa nascatur pustula lingua,
Formicam sequitur formica, cicada cicadam
Accipitri accipiter gaudet comes esse uolanti.
At me delectant dulces ante omnia musæ
His utinam mihi plena domus splendet & arcæ
Non apibus tenera nascentes gramine flores
Non uer quod primo se mox ostendit ab anno
Nec sopor in molli recubanti dulcior umbra,
Quam nobis uario modulantes carmine musæ
Musas quisquis amat musæ quicumq; fauebunt,
Ille ueneno se contemnet pocula Circes.

Geneth

GENETHLIACON FILII PHILIPPI
Melanchthonis.

Visa diu foelix una domus aucta puella
Ecce iterum prole est aucta Philippe noua.
Qui modo gaudebas unius nomine natæ
En geminum patris nunc tibi nomen erit,
Ille diu uestris precibus uotisq; petitus
Qui geminet patris nomina natus adest
Et quisquam tenui claudat tua gaudia uersu
Exprimat exiguis lætiamq; modis
Aut tibi nunc qualis perfundat corda uoluptas
Vllum quod possit dicere carmen erit
Cedite Pierides, fastisq; ignoscite diuæ
Non capiunt nostros gaudia tanta modos,
Altera suscepta est proles optata Philippo
Quo nihil hic noster carius orbis habet,
Suscepta est proles, calathis date lilia plena
Et niteant inter gramina sparsa rosæ
Limina iam fertis ornentur & atria fronde
Fument accensis thura Sabæa focis,
Illa dies niueo signanda est illa lapillo
Illa uoluptatem lætiamq; dedit,
Illa tibi peperit socij noua pignora lecti
Atq; auxit uestras illa Philippe domos,

D v Pro

Pro capto celebrant alij conuiuia regē,
Et referunt cælo munera multa Iouē.
Et tu pro genito non ducas gaudia nato,
Nec tua succenso limina thure madent.
Pro gestis illi bellis & cæde triumphant
Et reddunt fuso sanguine uota deo.
Auxit te partu facilis Luana beato,
Et cessas pleno gaudia ferre sinu?
Et puto non cessis, & te tua gaudia tangunt,
Iamq; tenes gremio uiscera cara tuo.
Exiguoq; pater das oscula multa Philippo
Et dare præuortens, quæ nequit ille rapis.
Et fortasse preces inter tot suauia miscens.
Sic mihi sic, inquis, uiue Philippe diu,
Viue Philippe diu, nostræ spes parta senectæ,
Dulce meum, caræ dulcæ parentis opus.
Viue diu, & nostros supera foeliter annos
Et claudant digiti lumina nostra tui.
Hæc eadem genitrix, aut his quoq; plura preatur,
Flagitat hæc eadem parua puella soror.
Ille tamen tenero subridens ore parentem,
Nescitat, incertis datq; ea signa sonis,
Quodq; nequit uerbis, gestu confirmat & ore,
Tendit & in uestras brachia parua preces.
Atque ita cum patris lassatus colla reliquit,
Matris in amplexus tum redit ille suæ.

Hei

Hei nāhi quæ matris pertentant gaudia mentem,
Quantas spes animo concipit illa suo,
Cum tenet infāntem gremio sua uota Philippum,
Inspectatq; uiri pignora cara sui.
Non ita letatam credo, quæ nupsit Achilli,
Cum peperit Pirrhum Deianira suum.
Quamuis hic Thetidos nepos, & quintus ab ipso
Progeniem posset denuerare Ioue.
Nec sic Thebani gaudebat filia regis,
Aspexit quoties Astyanacta suum,
Quantū ea tum magnas spes cœpit, & Hectore dignas,
Votaq; apud duros non ualitura deos.
At tua cum natum primum complexa Philippum,
Impleuit mentem spe Catharina suam.
Saluc magnanimi coniunx ueneranda Philippi,
Dij tibi dent multa crescere prole domum.
Macte uiro sic constat honos, sic astra petuntur,
Debentur casto premia tanta thoro.
Nec solum uestras tangunt hæc gaudia mentes,
Iam quoq; quo totus gaudeat orbis habet.
Aspice testantem passim sua gaudia pubem
Carminē, uocē, modis, gressibus, ore, togis.
Hic teneros Elegos, celeres hic mittit Iambos,
Pindaricam dulcis personat ille chelīm.
Hic canit Heroos, & longo carmina tractu
Ducit, & in uestros surgit Homere pedes.

Huic

Huic inflata sonat crispanti tibia cantu
Huic sonat Arcadico fistula facta deo,
Hinc alij uiua distinguunt carmina uoce
Et uariant flexo murmura grata sono.
Ceu solet aestiua dulcis Philomela sub umbra
Cum sedet, & magnas conant inter aues,
Aut quales sonitus reddebant cymbala quondam
Inter turri geræ timpana pulsa deæ,
Hinc ætharæq; lyræq;, & molli nauia uoce
Hinc uariant dulces barbita blanda modos,
Pars etiam nitida uelantes corpora ueste,
Lætiam culta testificantur ope,
Pars etiam festa cingunt, & limina fronde
Et cæna purpureo tempora fronde tegunt.
Vndiq; gratantes uideas, & fausta preantes
Applaudunt nato dijq; hominesq; nouo.
En Charites, ac ora nouem facunda sororum
Que fontes habitant Pegasus unda tuos
Quos studio seruas magnoq; Philippe labore,
Exercant memores gaudia quanta tui,
Immemores patriæ, ac obliti Thessala rura,
Ante tuas properant docte Philippe fores.
Ac iam Parnasso, uicinoq; orbe relicto
Per tua gratantes tecta frequenter eunt,
Hic pater ipse caput, crinesq; auratus Apollo
Diuina blandas increpat arte fides,

In nus

In numerum diuæ cœlestia corpora iactant
Et pulchra celebrant sedulitate choros,
Quarum casta nurus pudibunda exempla secute
Saltat in inauruos turba reducta sinus.
Præcipue iam parua soror sua pectora soluit
Lætiaeq; ullum nescit habere modum.
Et quacunq; potest fratris testatur amorem,
Figit & in roseis oscula multa genis,
Et redit, & teneros gaudet tetigisse lacertos
Milleq; demulcet pectora blanda modis,
Dulce puella decus patris, quæ sola uoluptas
Hactenus & curæ dulce leuamen eras,
Viue age, sed partes frater sine uindictet istas
Et curas ægri leniat ille patris
Nec minus illa senum pertingit corda uoluptas,
Aspice defessos gaudia quanta tenent?
Conueniunt preibusq; diem sacrisq; frequentant
Obtundunt ipsos lætiâq; deos.
Atque aliquis longo multum uenerandus ab æuo
Talia suspiciens sydera uoce refert,
Salue læta dies, quo non foelior unquam.
Purpureum cœlo sustulit orta caput
Salue progenies multos optata per annos
Delicium matris, deliciaumq; patris.
Quæ tam fausta tibi luxerunt secula nato
Quæ te tam læto fata tulere die?

Eccæ

Ecce tibi nato cœlum gratatur & annus,
Et lustrat solito purior orbis humum
Ipsa tibi uarijs pinguntur floribus arua,
Fronde utrent Syluæ, gramine terra uiret.
Macte parente puer quem fata fauentia mundo,
Authorem studijs progenere bonis.
Tu ne Philippus eris, tu nunc eris alter ab illo?
Qui studio linguam tractat utranq; pari.
Oceano cuius nomen finitur & astris,
Quo decus haud minus Rhœnus & Ister habent.
Viue diu, longosq; imple feliciter annos,
Viue diu, & merito nomina patris habe,
Sic ait ille, cohors, applaudit cœtera dictis,
Vsq; sub alta poli sydera plausus abit.
Haud secus ac uictis si quando Cæsar ab Afris,
Aut serus Partho uictor ab orbe redit.
It populus, magnoq; ducem clamore petendo,
Lætus io, clara uoce, triumphæ canit.
Auditur sonitus cœlo repetitus ab alto,
Et reboant celsi lucida tecta Iouis.
Tum quoq; cœruleum caput obstupescens ab imo
Extulit, & coeptum desinit Albis iter.
Et sua miratus quæ tunc noua regna uoluptas
Implicit ornatis dicitur esse comis.
At tu care puer, cui gaudia tanta parantur
Leticiam cuius nomine mundus agit.

Perge

Perge, bono & nostras de te spes omine sumptas
 Perfice, & in patrias perge uenire uias,
 Ac docti monitis cupias audire parentis,
 Viuendi leges cum dabit ille tibi.
 Sic tibi sic faales producant stamina Parca,
 Et ueniat fausto sera senecta pede.

FINIS.

VVITTEMBERGAE, ANNO
 M. D. XXVII.

Errata.

Folio A iij, queant, quam.

A v, Forte dies aderant, quibus undiq; multa quotannis.

Proximo folio deest uersus.

Quisquis ut a ueteri clade superstes erat.

Proximo folio ante B lege, Ingenuas artes his didiasse
 scelus.


Terno folio post B v. Quo comes ut &c.

In Domitianu

Cæsaris insanos pateris Romane furores
Nōne uides leges quas tulit ipse notat?
Excudit uites terrā vult esse spadone
Et damnat teneros exeuisse mares

Et dānat teneros exeuisse

me fiores
de yse netae?
spadone
de manes



Expectata diu rosas aurea laevis
Venerat, ^{namque} ~~et~~ ^{non} ~~mirantes~~ ~~venit~~ ~~nomes~~

~~et~~ ~~quae~~ ~~subito~~
~~et~~ ~~facto~~ ~~hinc~~ ~~proglit~~ ~~aut~~ ~~ea~~ ~~lun~~

Aura, ~~deus~~ ~~in~~ ~~hunc~~ ~~simul~~ ~~hic~~ ~~in~~ ~~omni~~ ~~lyta~~
affirmat ~~stans~~ ~~at~~ ~~re~~ ~~namque~~ ~~et~~ ~~non~~ ~~venit~~
hora ~~morat~~ ~~delosita~~ ~~mibi~~ ~~et~~ ~~parum~~ ~~par~~
~~ambur~~ ~~qui~~ ~~id~~ ~~hinc~~
Ipsa ~~paratata~~ ~~inter~~ ~~ego~~ ~~hinc~~ ~~amros~~
hinc ~~si~~ ~~quid~~ ~~quid~~ ~~ratio~~ ~~est~~ ~~quid~~ ~~si~~





